



Futuna, Dominicus Hoang-van-Doan, ep. tit. Saccaeotenus, Vincentius Enrique Tarancón, ep. Celsonensis, Reginaldus Addazi, arch. Tranensis et Barolensis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, Ioseph Köstner, ep. Gurcensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Michaël Assaf, arch. Petrensis et Philadelphiensis, Georgius Dwyer, ep. Loidensis.

Iuri loquendi renuntiavit P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.

Tum secretarius generalis ex ambone annuntiavit consilium praesidentiae post examen postulati card. Ottaviani suam decisionem communicaturum. Dein propositionem legit, qua Patres rogabantur ut durante novendiale in honorem Immaculatae Deiparae Virginis preces effunderent pro omnibus episcopis et pro cuncto populo christiano. Omnes Patres plauserunt.

Tandem secretarius generalis proximam congregationem intimavit feria VI, die 30 novembris, hora 9 habendam.

Patribus duo opuscula, typis impressa, distributa sunt: *a)* Emendationes ad cap. 1, n. 1-9, schematis *de sacra Liturgia*; *b)* relatio super decretum *de Ecclesiae unitate*, a P. Athanasio Welykyj in congregatione generali vicesima septima, die 26 novembris, lecta.

Hora 12,25 precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, Patres dimissi sunt.

XXX

Congregatio generalis tricesima habita est die 30 novembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2145 Patres, nempe 69 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 380 archiepiscopi, 1574 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missa de festo S. Andreae Apostoli celebrata est ritu romano a P. D. Andrea Charue, ep. Namurcensi. Chorus Cappellae Sixtinae executus est cantus: *Ave verum* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Crux fidelis* (Bartolucci).

Post Missam P. D. Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Intimatione facta: *Exeant omnes*, card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, annuntiato primi praesidis nomine, invitavit Patres ut Principem Apostolorum eiusque fratrem, S. Andream,



cuius festum illa die celebrabatur, orarent pro christianorum unione. Dein nomina legit Patrum, qui circa schema *de Ecclesiae unitate* loqui postulaverant.

Item communicavit consilium praesidentiae, debite aestimans rationes a card. Ottaviani adductas, censuisse tamen statutum ordinem servare, ac proinde, disceptatione expleta circa decretum *de Ecclesiae unitate*, initium dandum esse relationi et disceptationi circa schema *de Ecclesia*.

Tandem legit novem emendationes circa cap. I constitutionis *de sacra Liturgia*, suffragationi subiciendas, quas P. D. Ioseph Albertus Martin, ep. Nicoletanus, nomine commissionis liturgicae, illustravit.

Relatione expleta, prosecuta est disceptatio circa decretum *de Ecclesiae unitate*. Primus locutus est card. Stephanus Wyszyński, arch. Gneznensis et Varsaviensis.

Post eius sermonem, secretarius generalis ex ambone, nomine commissionis *de sacra Liturgia*, admonuit mendam corrigendam esse in emendatione tertia.

Deinde ex ordine ad loquendum circa decretum *de Ecclesiae unitate* a praeside vocati sunt card. Augustinus Bea, Emmanuel Trindade Salgueiro, arch. Eborensis, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Eftimios Youakim, ep. Mariamnensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Abilius Vaz das Neves, ep. Brigantiensis, P. Augustinus Sępinski, min. gen. O.F.M., Dionysius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum, Ioannes Heenan, arch. Liverpoolitanus, Alexander Olalia, ep. Lipsensis, Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis, Rodulfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Hollandiae, Nicolaus Elko, ep. tit. Apolloniensis, Antonius Bukatko, arch. tit. Mocissenus, coad. c.i.s. Belogradensis.

Iuri loquendi renuntiarunt Ioannes Bassoul, arch. Hermesenus Melchitarum, Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis, Paulus Butorac, ep. Ragusinus, Alfredus Bontempi, ep. tit. Palmyrenus.

Hora 12,05 secretarius generalis ex ambone, praesidis nomine, Patrum suffragium petiit de fine faciendo disceptationi circa schema *de Ecclesiae unitate*. Omnes surgentes annuerunt, et secretarius generalis annuntiavit die sequenti motionem conclusivam circa idem schema suffragationi subiectum iri.

Dein communicavit exitum suffragationis circa primas quinque emendationes super cap. I *de sacra Liturgia*, et monuit die sequenti inceptum iri disceptationem circa schema *de Ecclesia*.

Durante congregatione Patribus distributus est fasciculus, typis impressus, continens sermonem, quo card. Hamletus Ioannes Cicognani,



praeses commissionis de Ecclesiis Orientalibus, decretum *de Ecclesiae unitate*, die 26 novembris, proposuerat.

Hora 12,15 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 1 decembris habendam.

XXXI

Congregatio generalis tricesima prima habita est sabbato, die 1 decembris, hora 9 matutina. Interfuerunt 2115 Patres, nempe 67 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 373 archiepiscopi, 1555 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 82 superiores generales.

Missa de B. M. V. celebrata est ritu romano a P. D. Francisco Grimshaw, arch. Birminghamiensi. Chorus Cappellae Sixtinae cantus executus est: *Oremus pro Pontifice nostro, O memoriale, Iesu quem velatum, Panis angelicus.*

Post Missam P. D. Antonius Plaza, arch. Platensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Christus vincit* cum Ps. 116 cantant.

Intimatione facta: *Exeant omnes*, card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, precem *Adsumus...* recitavit.

Dein secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine praesidis congregationis, communicavit in melius versam esse valetudinem Summi Pontificis, qui Patribus salutem plurimam et benedictionem paternam largiebatur. Omnes Patres plauserunt.

Tunc ex parte praefecti Congregationis caeremonialis cardinalibus notum fecit a die sequenti usque ad diem 7 decembris vestes laneas violacei coloris induendas esse.

Insuper legit propositionem, suffragationi submittendam, de unico documento conficiendo ex decretis *de Ecclesiae unitate* et *de Oecumenismo* una cum cap. 11 *de Ecclesia*.

Item annuntiavit alias emendationes circa schema *de sacra Liturgia* distributum iri, proxima feria II suffragationi submittendas, et communicavit exitum suffragationum super emendationes 6-9 ad cap. I schematis *de sacra Liturgia*. Omnes emendationes propositae approbatae sunt.

Tandem legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* loqui postulaverant.

Card. Ottaviani, praeses commissionis de doctrina fidei et morum, schema *de Ecclesia* proposuit, quod P. D. Franciscus Franić, ep. Spalantensis et Macarscensis illustravit.